Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



agnoscebat. Illa potentia uirtus fuit.
ista infirmitas custos uirtutis. In il
lis uirtutibus ostendebat quid acceperat.
in istis infirmitatibus hoc quod acceperat
custodiebat. Et miraculis monstraba
tur. helyas. in infirmitatibus seruabatur.
Sic paulum uideo fluminum et la
tronum. ciuitatis et solitudinis.
maris ac terre pericula sustinentem.
frenantem ieiuniis ac uigiliis corpus.
sustinentem frigoris et nuditatis erumpnam
ad ecclesiarum custodiam uigi
lanter se ac pastoraliter exercentem.
ad tercium celum raptum. rursumque
eum in paradyso raptum. et audisse
archana uerba que non licet homi
ni loqui. et tamen sathane angelo ad
temptandum conceditur. orat ut eximi
debeat. et tamen non exauditur. Cuius cum
ipsa initia conuersationis aspicio. perpen
do quod ei superna pietas celos aperuit. sese
que illi ihesus de sublimibus ostendit. qui
lumen corporis ad tempus perdidit. lumen
cordis in perpetuum accepit. Ad ananiam
mittitur. uas electionis uocatur. et tamen
de ciuitate eadem quam post uissionem
ihesu ingressus fuerat fugiens recedit.
sicut ipse testatur dicens. Da erti mas
ci prepositus gentis arethe regis
custodiebat ciuitatem damascenorum
ut me comprehenderet. et per fenestram
in sporta dimissus sum per murum. et
sic effugi manus eius. Cui licenter di
cam. O paule in celo iam ihesum conspicis.

et in terra adhuc hominem fugis. in
paradysum duceris. secreta dei uerba
cognoscis. et adhuc a sathane angelo
temptaris. Unde sic fortis ut ad celes
tia rapiaris. unde sic infirmus ut in
terra hominem fugias. et adhuc a satha
ne angelo aduersa toleras. nisi quia
ipse qui te subleuat rursum te sub
tilissima mensura moderatur. ut et
in miraculis tuis nobis predices uirtu
tem dei. et rursum in timore tuo re
minisci nos facias infirmitatis nostre.
Que tamen infirmitas ne in desperatio
nem nos pertrahat cum pulsat. deum de infirmi
tate tua dominum rogares quia auditus
non es. nobis quoque locutus es quid audisti.
sufficit tibi gratia mea. nam uirtus in in
firmitate perficitur. Aperta quoque uoce dei os
tenditur. quia custos est uirtutis infir
mitas. Tunc quippe bene interius custo
dimur. cum per dispensationem dei tolera
biliter temptamur exterius. aliquando ui
ciis. aliquando pressuris. Nam eis quoque quos
uiros nouimus fuisse uirtutum. temp
tationes atque certamina non defuere ui
ciorum. Hinc enim est quod ad consolationem
nostram isdem predicator egregius de
se quedam talia prodere dignatur dicens.
Uideo aliam legem in membris me
is repugnantem legi mentis mee
et captiuum me ducentem in lege
peccati. que est in membris meis. Ad
ima quippe trahit caro ne extollat
spiritus. et ad summa trahit spiritus ne prosternat caro.
Spiritus leuat ne iaceamus in infimis.